



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 124. Bulla de Concionatoribus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

§. CXXIV.

*Bulla de Concionatoribus.*Sæcul. XVI.
A.C. 1516.

Post hæc perlecta est Pontificis Bulla ab ipso Concilio approbata, qua verbi divini Præconibus pro munere suo rite exequendo quædam documenta præscribuntur. *Mentem certe nostram, inquit Pontifex, mirum in modum commovit, dum nobiscum ipsi mente volvimus, quod plures officii immemores sui, in suis sermonibus non ad utilitatem audientium, sed ad suam potius ostentationem laborantes, vanis quorundam auribus blandiuntur, in prædicationibus non viam amplius Domini docentes, non Evangelium, ut deberent, explanantes, sed conficta miracula, nova ac falsa vaticinia, aliæque magnum scandalum parientia nulla devotionis, & auctoritatis ratione vastis clamoribus imprimere, ac suadere ubique conantur, & nec pontificali quidem dignitate fulgentibus, aliisque Ecclesiæ Prælati parcen-tes, in eorum Personas, ac statum audaciter ac temerarie invehi consuescunt. Igitur, prosequitur Papa, statuimus, & ordinamus, ut nullus Clericus tam sæcularis, quam Regularis aut quivis alius, ad quem facultas prædicandi tam de jure, quam privilegio, aut alias pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius diligenter per superiorem suum examinatus, ac morum*

*Collect. Conc.
ib. p. 288. &
seq.*

Sæcul. XVI.
A.E. 1516.

honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus & idoneus reperiatur, & hic quicumque postea prædicaturus accesserit, de hujusmodi examine, & idoneitate sua per literas authenticas seu alias sui examinatoris locorum Ordinariis fidem legitime faciat. Mandantes insuper omnibus, qui hoc munus in futurum sustinebunt, ut Evangelicam veritatem, & sanctam Scripturam juxta interpretationem S. Patrum, & Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, prædicent, & explanent, nec quicquam dissonum adjiciant, sed semper insistant, quæ ab ipsius sacrae Scripturae verbis sane intellectis non discordant; ac denique Evangelium ex divinae vocis præcepto omni creaturae cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione declarent, & pacem ac dilectionem mutuam ubique foventes non scindant vestem inconsutilem Christi. Denique Constitutionem Clementis Papæ V. quæ incipit: Religiosi, quam tenore præsentium approbamus, inviolabiliter ab eis observari præcipimus. Hæc Constitutio ab omnibus unanimi voce comprobata est.

§. CXXV.

Bulla Leonis X. de abrogatione Sanctionis Pragmaticæ.

Collect. Conc.
Labb. t. 14. p.
309. & seq.

Perlecto hoc Decreto recitabantur concordata Bononiæ inter Papam & Gallia-